

*dria.* Benedictus Episcopus Servus Servorum Dei dilecto filio Alexandro Bonino de Alexandria Ord. Fr. Min. Aqueusis Diocesis salutem, & Apostolicam benedictionem. Fœcunditatem scientiæ litteralis &c. Dat. Laterani III. Kal. decembris Pontificatus nostri anno I. *Alias Clem. PP. V. hisce consonam afferam in notis ad doc. sub an. 1308. n. 269.*

MCCCXI. XVI. Kal. martii. Breve Clementis V. Papæ Inc. dilectis filiis . . . S. Petri de Alexandria . . . de Quargnento, & Monbarutio Ecclesiarum Archipresbiteris Aqueusis Diocesis. In eo sæpius nominatur Guardianus, & fratres Ordinis Minorum de Alexandria Aqueusis Diocesis. *Lettera seconda ecc. Asti pag. 12.*

*Aliæ ejusdem Pontificis, quibus deest mensis, ac dies, ac incip.* Dilectis filiis Abbati Monasterii sanctæ Justinae de Sexadio, & Priori S. Siri de Alexandria & Præposito Ecclesiæ prædicti loci de Sexadio Aqueusis Diocesis . . . Priorem, & Conventum Ordinis fratrum Prædicatorum dicti loci de Alexandria Aqueusis Diocesis. *ibi pag. 12.*

MCCCXXXVIII. id. julii Breve Benedicti Papæ XI., in quo verba faciens de quodam Humiliatorum Capitulo generali ait hoc celebratum in Alexandria Aqueusis Diocesis, quam loquendi formulam quidam ejusdem ordinis Chronista, qui scribebat an. 1419. cap. 40. hac de re loquens adhibuit. *Chenna ex Tiraboschi Stor. degli Humil. op. cit. pag. 187.*

MCCCXLI. nonis maii. Aliud ejusdem Pontificis Breve tractans sententiam adversus Vicecomites prolatam, in qua legitur in loco de Bergolio Aqueusis Diocesis. *ibi pag. 187.*

MCCCXLIII. Induciæ imperatæ a Gulielmo Cardinali per litteras Alexandriae Diocesis Aqueusis scriptas inter Episcopum Vercellensem, & Masini dominos, de quibus his verbis mentionem fecit Ferrerius in libro inscripto: S. Eusebii Vercell. Episc., & Mart. vita Vercellis & Romæ anno 1702. pag. 204. Cum dissensiones graves inter hunc Episcopum, & Bugellenses adversus Petrum dominum Burgi Masini, aliosque Masini dominos essent exortæ, ipsique ad arma sæpius sollicitarentur, compromissum denique mutuo partium consensu factum fuit anno MCCCXXXIII., arbitrique ab utrisque delecti Otho ex dominis Azellii, & Johannes de Advocatis ex dominis Cerridonii. Interim vero induciæ in quinquennium jussu Gulielmi Card. SS. Quatuor Coronatorum Episcopi legati a latere publicatæ fuerunt ut in illius litteris Alexandria tum Diocesis Aqueusis datis, & subscriptis per Bertrandum Vacherium ejusdem legati secretarium Pontificatus Clementis VI. anno primo legere est.

MCCCXLVI. VII. id. aug. Breve Clem. VI. non V. uti excidit C. V. *Chenna p. 187.* concedentis facultatem alio transferendi Conventum Ordinis B. M. V. de Carmelo, qui extabat prope villam de Alexandria Aqueusis Diocesis.

MC CXLVI. XVI. Kal. decemb. Breve Gregorii XI. Cantori Ecclesiæ S. Petri de Alexandria Aqueusis Diocesis. *ibi pag. 188.*

MCCCXCII. V. Kal. aprilis. Privilegium exemptionis a Bonifacio IX. Papa impertitum Ecclesiæ S. Jacobi in loco Alexandriae Aqueusis Diocesis. *ibi pag. 189.*

*Aliud pridie id. sept., quo indulgentiam concedit pro Ecclesiâ S. Jacobi de Victoria de Alexandria Aqueusis Diocesis. Ibi.*

MCCCC. non. febr. Litteræ Bonifacii PP. IX. ad Episcopum Papiensem, in quibus Villa Fori denominatur Diocesis Aqueusis. *ibi pag. 190.*

Ceterum licet summi Pontifices Alexandriam hisce temporibus Diocesis Aqueusis esse perpetuo dixerint usque ad novam illius Diocesis erectionem; attamen Archiepiscopi Mediolanenses, ad cujus Metropoliticum jus Alexandrina Ecclesiâ spectabat, non eandem secuti sunt scribendi formam. Immo videntur in Alexandrina Ecclesiâ Episcopalem quamdam jurisdictionem affectare voluisse; quod etiam haud obscure colligitur ex hoc altero documento, quo Willelmus Archiepiscopus Mediolanensis de Capituli sui accedente consensu, ut habet Innocentius IV. in sua bulla 6. octobris 1245. apud Vading. T. III. eximit a jure Episcopali Monasterium B. Mariæ Magdalena de Alexandria. Hujus autem diversæ locutionis rationem nemo adhuc illorum, qui in hac controversia styllum excuerunt, tetigisse cognovi, quod erat præstandum. Nunc interim in antecessum Vilelmi Archiepiscopi decretum exhibebo, quod ita se habet.

Wilelmus Divina miseratione sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus dilectis in Christo filiabus Abbatissæ, & sororibus Monasterii B. Mariæ Magdalena de Alexandria ordinis S. Damiani Assisinatensis salutem, & benedictionem. Cum Monasterium in honorem B. Mariæ Magdalena in loco memorato construi fecerimus, ut ibidem devote Domino famulantes pro nobis, & aliis . . . vestræ piæ, ac humili petitioni pio concurrentes assensu prædictum Monasterium, & personas illic nunc, vel in futurum commorantes cum omnibus bonis suis consensu, & voluntate Capituli ab omni jure Episcopali, & cujuslibet conditionis obligatione tam in spiritualibus, quam in temporalibus pleno jure liberamus, & eximimus; nihil aliud nobis, & Ecclesiæ Mediolanensi in eisdem reservantes nisi consecrationem Ecclesiæ, & Altarium cum fuerimus requisiti; si tamen nos, & successores nostri gratis, & sine pravitate aliqua voluerimus consecrare. Reservamus etiam nobis libram unam cere in festo B. Mariæ Magdalena 8. diebus ante, vel 8. diebus post fest. &c. Ego VVilelmus de Rissolio Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus. Ego Albertus Amiconus Mediolanensis Ecclesiæ Archipresbiter etc. etc. Dat. etc. MCCXXXVII. die Mercurii prima die mensis aprilis ind. X.

MCCXCIII. col. 260 n. 252 Ex membrana Capituli recuperata, ac diligenter inspecta hæc supplenda. lin. 14. Ricardi legitur Aicardi. lin. 28. post curare hæc adijunge prædictum pedagium, curadium, & bechariam, & de medietate ipsius becchariæ, & redditus, ac utilitates, qui, & quæ procedunt ex ea, eidem D. electo facere integram rationem, & dictam medietatem consignare, & reddere totaliter, & perfecte. lin. 33. adde remisit prædictis, seu ab aliquo prædictorum eisdem, & quemlibet eorum de prædictis damnis, & injuriis liberaliter eos absolvit, & eidem remisit, & non conveniet, vel faciet de jure, vel de facto sub poena dupli